

tum ulla diversitas? **732** Et quidem difficile est universas uno sermone prosequi indigentias quas experimur; sed occurrunt mihi interim tres communes omnibus, et quodammodo principales. Nemo enim repetitur in nobis, qui non interim et consilii, et auxilii, et præsidii indignus videatur. Nimirum generalis est humano generi miseria triplex; et quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, si diligenter advertimus, triplici hoc incommodo miserabiliter laboramus. Nam et faciles sumus ad seducendum, et debiles ad operandum, et fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum et malum, decipimur; si tentamus facere bonum, deficimus; si conamur resistere malo, dejicimur et superamur.

2. Necessary proinde Salvatoris adventus; necessaria sic præoccupatis hominibus præsentia Christi. Atque utinam sic veniat, ut copiosissima dignatione sua, et in nobis per fidem habitans illuminet cæcitate nostram, et nobiscum manens adjuvet

MONITUM IN SEQUENTES HOMILIAS.

Sequentes quatuor homiliæ, quod unum est ex primis Bernardi operibus, etsi vulgo inscribantur « Super Missus est; ex mente tamen auctoris, ipsius inquam Bernardi, inscribendæ, « De Laudibus Virginis matris. » Nam sic ipse in præsentis Præfatione, et in epistola 18 ad Petrum diaconum cardinalem: « Scio, » inquit, « me scripsisse quatuor Homilias in laudibus Virginis matris: nam hunc habent titulum, » etc. Et iterum epistola 89, ad Ogerium: « Alium libellum a me nuper editum in Laudibus Virginis matris tibi transmittito. » Porro videndus Bernardus tractatu de Baptismo, ad Hugonem, cap. 5, ubi sententiam quamdam primi hujus sermonis explicat et a calumnia vindicat.

DE LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS.

Super verba Evangelii: « Missus est angelus Gabriel, » etc.

HOMILIE QUATUOR. PREFATIO.

Scribere me aliquid et devotio jubet, et prohibet occupatio. Verumtamen quia præpediente corporali modestia, fratrum ad præsens non valeo sectari conventum; id tantillum otii, quod vel mihi de somno fraudans in noctibus interciperet sinor, non sinam otiosum. Libet ergo tentare id potissimum aggredi, quod sæpe animum pulsavit; loqui videlicet aliquid in laudibus Virginis matris, super illa lectione evangelica, in qua, Luca referente, Dominicæ Annuntiationis continetur historia. Ad quod sane opus faciendum etsi nulla fratrum (quorum me profectibus deservire necesse est) vel necessitas urgeat, vel utilitas moveat (alias moneat); dum tamen ex hoc non impediatur, quo ad quæque ipsorum necessaria minus paratus invenier, non arbitror eos debere gravari, si propriæ satisfacio devotioni.

733 HOMILIA I.

Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen Virginis Maria (Luc. 1, 26, 27).

1. Quid sibi voluit evangelista, tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? Credo

infirmitatem nostram, et pro nobis stans fragilitatem nostram protegat et propugnet. Si enim ille in nobis, quis jam decipiat nos? Si ille nobiscum, quid de cætero non possumus in eo qui confortat nos? Si ille pro nobis, quis contra nos? (Rom. viii, 31). Fidelis consiliarius est, qui neque falli omnino, neque fallere queat: fortis auxiliarius, qui non lassescat: patronus efficax, qui et ipsum Satanam sub pedibus nostris velociter conterat, et omnia ejus machinamenta confringat. Nimirum ipse est Dei sapientia, cui semper in promptu sit instruere ignorantes: ipse Dei virtus, cui facile sit et deficientes reficere, et eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorem, fratres mei, in omni deliberatione curramus: hunc tam strenuum adiutorem in omni operatione invocemus: huic tam fido propugnatori in omni collectatione committamus animas nostras: qui ad hoc ipsum venit in mundum, ut habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, et tenebras nostras illuminaret, et labores levaret, et pericula propulsaret.

quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem nuntium qui mittitur, Dominum a quo mittitur, Virginem ad quam mittitur, sponsum quoque virginis: amborumque genus, civitatem ac regionem propriis designat nominibus. Ut quid hoc? Putasne aliquid horum supervacue positum sit? Nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causa, nec unus ex passeribus sine Patre cælesti cadit super terram (Matth. x, 29); putem ego de ore sancti Evangelistæ superfluum diffluere verbum, præsertim in sacra historia Verbi? Non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, ac cælesti singula dulcedine redundantia; si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nempe in illa die stillarunt montes dulcedinem, et colles fluxerunt lac et mel (Joel iii, 18), quando rorantibus cælis desuper, nubibusque pluentibus justum, aperta est terra læta germinans Salvatorem (Isa. xlv, 8): quando Domino dante benignitatem, et terra nostra reddente fructum suum, super illum montem montium, montem coagulatum et pinguem misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt (Psal. lxxxiv, 11). Illo quoque in tempore unus iste inter cæteros montes non modicus, beatus hic videlicet evangelista, dum desideratum nobis nostræ salutis exordium suo mel-

liffuo commendavit eloquio, veluti perflante austro, atque e vicino sole radiante justitiæ, quædam ex eo spiritualia profluxerunt aromata. Utinam et nunc Deus emittat verbum suum, et liquefaciat ea nobis; perfleret spiritus ejus, et fiant nobis intelligibilia verba evangelica: fiant in cordibus nostris desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, fiant et dulciora super mel et favum!

2. Ait itaque: Missus est angelus Gabriel a Deo. Non arbitror hunc angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa, crebra soleant ad terras fungi legatione: quod ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum fortitudo Dei dicitur; et quia non ab alio aliquo forte excellentiori se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, a Deo; vel ideo dictum est, a Deo, ne cui vel beatorum spiritum suum Deus, antequam Virgini, revelasse putetur consilium, excepto duntaxat archangelo Gabriele, qui utique tantæ inter suos inveniri potuerit excellentiæ, ut tali et nomine dignus haberetur, et nuntio. Nec discordat nomen a nuntio. Dei quippe virtutem Christum quem melius nuntiari decebat, quam hunc, quem simile nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo, quam virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, dominum et nuntium communi censeri vocabulo; cum similis in utroque appellationis, non sit tamen utriusque similis causa. Aliter quippe Christus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter angelus. Angelus enim tantum nuncupative, Christus autem etiam substantive Christus Dei virtus (I Cor. i, 24) et dicitur et est, quæ forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superveniens, ipsum suo brachio debellavit; et sic ei vasa captivitatis potenter eripuit. Angelus vero fortitudo Dei appellatus est, vel quod hujusmodi meruerit prærogativam officii, quo ejusdem nuntiaret adventum virtutis: vel quia virginem natura pavidam, simplicem, verecundam, de miraculi novitate ne expavesceret, confortare deberet: quod et fecit, Ne timeas, inquit, Maria, invenisti gratiam apud Deum. Sed et ipsius sponsum, hominem utique nihilominus humilem ac timoratum, non irrationabiliter forsitan idem angelus confortasse **734** creditur, quanquam tunc ab evangelista non nominetur. Joseph, inquit, fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam (Matth. 1, 20). Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: imo quia tale illi negotium iungitur, recte tali nomine designatur.

3. Missus est ergo angelus Gabriel a Deo. Quo? In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Videamus si, ut ait Nathanael, a Nazareth potest aliquid boni esse (Joan. 1, 46). Nazareth interpretatur flos. Videntur autem mihi quoddam semen fuisse divinæ cognitionis, tanquam e cælo jactatum in terras, allocutiones et promissiones factæ cælitus ad patres, Abraham scilicet, Isaac et Jacob; de quo semine scriptum est: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissemus; et quasi Gomorra

similes essemus (Isa. 1, 9). Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quæ ostensa sunt in exitu Israel de Egypto, in figuris et ænigmatibus per totum iter in deserto usque in terram promissionis, et deinceps in visionibus et vaticiniis prophetarum, in ordinatione quoque regni ac sacerdotii usque ad Christum. Christus autem hujus seminis et horum florum non immerito fructus esse intelligitur, dicente David: Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum (Psal. lxxxiv, 13); et iterum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam (Psal. cxxxi, 11). In Nazareth ergo nuntiatur Christus nasciturus; quia in flore speratur fructus processurus. Sed prodeunte fructu, flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransiit. Unde et Nazareth civitas Galilææ dicitur, id est transmigrationis: quia nascente Christo, omnia illa transierunt quæ superius enumeravi, quæ, ut ait Apostolus, in figura contingebant illis (I Cor. x, 11). Hos ergo flores et nos qui jam fructum tenemus, pertransisse videmus: et dum adhuc florere videbantur, transitori prævidebantur. Unde David: Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat: vespere decidat, induret et arescat. (Psal. lxxxix, 6). Vespere etenim, id est, quando venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Unigenitum suum, factum ex muliere, factum sub lege (Galat. iv, 4), dicente ipso: Ecce nova facio omnia (Apoc. xxi, 5); vetera transierunt et disparuerunt, quomodo in novitate succrescentis fructus flores decidunt et arescunt. Unde rursus scriptum est: Fenum aruit, et flos decidit; verbum autem Domini manet in æternum. Credo, non ambigis quin verbum fructus sit; Verbum autem Christus est.

4. Bonus itaque fructus Christus, qui manet in æternum. Sed ubi est fenum quod aruit? ubi est flos qui decidit? Propheta respondeat. Omnis caro fenum; et omnis gloria ejus, tanquam flos feni (Isa. xl, 8). Si omnis caro fenum; ergo carnalis ille populus Judæorum ut fenum aruit (alias, fuit). Annon fenum aruit, dum idem populus ab omni spiritu pinguedine vacuus, sicca litteræ adhæsit? Annon etiam flos decidit, quando gloriatio, quam habebant in lege, non remansit? Si flos non decidit, ubi ergo regnum, ubi sacerdotium, ubi prophetæ, ubi templum, ubi denique magnalia illa, de quibus gloriari solebant, et dicere: Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis? et iterum: Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis (Psal. lxxvii, 3.) Et hæc dicta sunt pro eo quod positum est: In Nazareth civitatem Galilææ.

5. In illam ergo civitatem missus est angelus Gabriel a Deo. Ad quem? Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. Quæ est hæc Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab angelo; tam humilis, ut desponsata sit fabro? Pulchra permistio virginis et humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginis tatem, et virginitas exornat humilitatem. Sed

quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fecunditas, et partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur. Ad illam invitaris, ad istam cogaris. De illa dicitur: *Qui potest capere, capiat* (Matth. XIX, 12); de ista dicitur: *Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum* **735** *cælorum* (Matth. XVIII, 3). Illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari; sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam; sine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuisset. *Super quem, requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum?* (Isai. LXVI, 2.) *Super humilem*, dixit, non, super virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset; si super eam non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque, quia ut de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, *respexit humilitatem ancillæ suæ Deus* (Luc. I, 48), potius quam virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat, quia etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.

6. Quid dicis, virgo superbe? Maria virginem se oblita gloriatur de humilitate: et tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? *Respexit, ait illa, humilitatem ancillæ suæ.* Quæ illa? Virgo utique sancta, virgo sobria, virgo devota. Nunquid tu castior illa? nunquid devotior? Aut nunquid tua forte pudicitia gravior castitate Mariæ; ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua, quod illa non potuit ex sua? Denique quanto honorabilior es ex singulari munere castimonie, tanto tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te decorem fœdas permissione superbie. Alioquin expedit tibi virginem non esse, quam de virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas: multo tamen pauciorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari, studè humilitatem imitari, et sufficit tibi. Quod si et virgo, et humilis es, quisquis es, magnus es.

7. Est tamen majus aliquid quod mireris in Maria: scilicet cum virginitate fecunditas. A sæculo enim non est auditum, ut aliqua simul mater esset et virgo. O si (alias, quod si) et ejus est mater attendas! quote tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas nec satis posse mirari? Nonne tuo, imo Veritatis judicio, illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur angelorum? Annon Deum et Domium angelorum Maria suum audaacter appellat filium, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic?* (Luc. II, 48.) Quis hoc audeat angelorum? Sufficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt et vocati angeli, testante David: *Qui facit*, inquit,

A *angelos suos spiritus* (Psal. CIII, 4). Maria vero matrem se agnoscens, majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit evangelista: *Et erat, inquit, subditus illis* (Luc. II, 51). Quis, quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrique stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus femine obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocunque ierit (Apoc. XIV, 4). Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit?

B 8. Disce, homo, obedire; disce, terra, subdi; disce, pulvis, obtemperare. De auctore tuo loquens evangelista, *Et erat, inquit, subditus illis*; haud dubium, quin Mariæ et Joseph. Erubescere, superba cinis! Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? Utinam mihi aliquando, tale aliquid cogitanti, Deus respondere dignetur, quod et suo increpando respondit apostolo: *Vade, inquit, post me, Satana, quia* **736** *non sapis ea quæ Dei sunt* (Matth. XVI, 23). Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo: et tunc vere non sapio ea quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est: *Et erat subditus illis*. Si hominis, o homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum sequi Auctorem tuum. Si non potes forsitan sequi eum quocunque ierit, dignare vel sequi quo tibi condescendit. Hoc est, si non potes sublimem incedere semitam virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis: a cujus rectitudine si qui etiam de virginibus deviaverint, ut verum fatear, nec ipsi sequuntur Agnum quocunque ierit. Sequitur quidem Agnum coinquinatus humilis, sequitur et virgo superbus; sed neuter quocunque ierit: quia nec ille ascendere potest ad munditiam Agni, qui sine macula est; nec is ad ejusdem mansuetudinem descendere dignatur, quia scilicet non coram tondente, sed coram occidente, se obmutuit. Attamen salubriorem elegit sequendi partem in humilitate peccator, quam in virginitate superbus: cum et illius immunditiam sua humilis satisfactio purget, et hujus pudicitiam superbia inquinat.

9. Sed felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fecunditas: et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fecunda virginitas: et incomparabilis prorsus fecunditas, quam virginitas simul comitatur et humilitas. Quid horum non mirabile (7)? quid non

incomparabile? quid non singulare? Mirum vero si non hæsit in eorum ponderatione, quid tua iudices dignius admiratione, utrum videlicet potius stupenda sit fecunditas in virgine, an in matre integritas; sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas: nisi quod indubitanter horum singulis præferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est atque felicius, omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum si Deus, qui mirabilis legitur et cernitur in sanctis suis (Psal. LXXVII, 36), mirabiliorem se exhibuit in Matre sua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: miramini etiam, vos sacræ virgines, in virgine fecunditatem: imitamini, omnes homines, Dei Matris humilitatem. Honorate, sancti Angeli, vestri Regis Matrem, qui nostræ adoratis Virginis Prolem, ipsum utique nostrum pariter ac vestrum regem, nostri generis reparatorem, vestræ civitatis instauratorem. Cujus apud vos tam sublimis, inter nos tam humilis, a vobis pariter, et a nobis detur et dignitati debita reverentia, et dignationi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

In Luc. I, 26, 27.

1. Novum quidem canticum illud, quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam virginem Reginam cum cæteris, imo primam inter cæteras esse cantaturam, nemo est qui ambigat. Puto autem illam, præter illud quod solis licet, cum omnibus tamen virginibus ei, ut dixi, commune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine lætificationem esse civitatem Dei. Cujus utique dulcisonos depromere vel exprimere modulos ne ipsarum quidem virginum ulla digna invenietur; quia soli merito decantandum servabitur, quæ sola de partu, et partu divino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, non in se, sed in ipso quem peperit. Deus siquidem (Deus enim est quem peperit). Matrem suam singulari in cælestibus donaturus gloria, singulari in terris prævenire curavit et gratia, qua videlicet ineffabiliter et intacta conciperet, et pareret incorrupta. Porro Deo hujusmodi decebat natiuitas, qua non nisi de Virgine nasceretur: talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Proinde factor hominum ut homo fieret, **737** nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse virginem. de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus: voluit et humilem, de qua mitis et humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit ergo Virgini partum, qui ei jam ante et virginitatis inspiraverat votum, et humilitatis prærogaverat meritum. Alioquin quomodo angelus

(1) Ab hisce verbis finis hujus homiliæ, et totum initium sequentis ad verba, « His nimirum, » num. 2, desiderantur in plerisque antiquis codicibus, in

eam in sequentibus gratia plenam pronuntiat, si quidpiam vel parum boni, quod ex gratia non esset, habebat?

A 2. Ut igitur quæ Sanctum sanctorum conceptura erat pariter et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitatis: ut esset et mente, accepit et humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decore præfulgida, specie sua et pulchritudine sua in cælestibus cognita, cœli civium in se provocavit aspectus, ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et cœlestem nuntium ad se de supernis educeret. Et hoc est quod nobis hic Evangelista commendat, cum angelum perhibet a Deo destinatum ad Virginem: *A Deo, inquit, ad virginem*: id est, a celso ad humilem, a Domino ad ancillam, a Creatore ad creaturam. Quanta dignatio Dei! quanta Virginis excellentia! Currite, matres; currite, filia; currite, omnes quæ post Evam, et ex Eva, et parturimini cum tristitia, et parturitis. Adite virginelem thalamum, ingredimini, si potestis, pudicum sororis vestræ cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur angelus Mariam. Apponite aurem parieti, auscultate quid nuntiet ei, si forte audiat undè consolemini.

B 3. Lætare, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater, exsulta, qui, sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; et, quod infelicius est, prius peremptores, quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, et tali filia; sed illa amplius, de qua malum ortum est prius, cujus opprobrium in omnes pertransiit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam: qui utique dum se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam excusare non cunctatus est, dicens, *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi* (Gen. III, 12). Propterea curre, Eva, ad Mariam; curre, mater, ad filiam; filia pro matre respondeat, ipsa [alias, ita] matris opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam. Quid dicebas, o Adam? *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi*. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis augeas quam deleas culpam. Verumtamen Sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniæ, quam a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit. Redditur nempe femina, pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba; quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, et pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comedi; et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti quibus juncta simul prima et secunda homilia, tres tantum inveniuntur homiliæ super *Missus est*.